

AD I. COR. CAP. IX.

Act. XVI. 14. Cap. XII. 2. 18. Rom. XVI. 1. 2. 3. 6. 12. 13. 15. 1. Cor. XVI. 19. 2. Tim. IV. 19. Ad hæc ea intelligitur mulier, ad quam designandam non sufficiebat vox ἀδελφῆ; sed etiam γυναῖκος mentio requirebatur, quæ passim pro uxore ab Apostolo sumitur. *1. Cor. VII.* sæpissimè, & aliàs frequenter. Ad sexum significandum sola vox ἀδελφῆ sufficit, uti alias omissa est vox γυναῖκος *Rom. XVI. 12. 1. Tim. V. 2. Tit. II. 3. Phil. II. 1.* Deniq̄ve de tali muliere, in quam ἐξουσίαν *maritatem* habuere Apostoli, ut vi ejusdem ipsas secum ubiq̄ve circumducere potuerint, illæq̄ve eosdem sequi debuerint. Et verbum ἐξουσίαν *autoritatem* ejusdem, qui circumducit, in personam quæ circumducitur, infert. Quis verò Apostolis potestatem dedit, alienas mulieres circumducendi? Quemadmodum Petrum, & alios Apostolos comites habuisse suorum itinerum autor *Clemens* est. Neq̄ve verò concedendum est *Pontificiis*, quod cessarit inter ipsos & uxores *conjugale officium in Apostolatu*, quod veteres statuisse secundum *Vasquezium* in Thom. disp. 89. de sacram. matrim. petitio principii est; nusquam habet *Clemens*, id solum innuens, quod in peregrinatione Apostolorum magis administraverint regno cœlorum quam privatis & domesticis officiis. Sed quomodo *scopo* Apostoli convenit glossa illa *Cornelii. Possem matronam, quæ me aleret, circumducere*, cum propositum ipsi sit, asserere potestatem circumducendæ uxoris, non quæ ipsum aleret; sed quæ *sumptibus Ecclesiæ aleretur cum illo*. Idecirco post *Clementem Alexandr. & Tertull.* exhort. ad castitatem c. 8. *Euseb. 1. 3. A. Eccl. 1. 3. c. 3. Ambrosium* in 2. Cor. XI. non tantum *Valla, & Vatablus*, sed etiam ipse Pontifex Romanus *Leo. IX.* contra Epistolam Nicetæ, & ex eo *Jus Canonicum c. omninò distinct. XXXI.* locum hunc de uxoribus Apostolorum accepere Prædictus *Quinq̄ Eccl. Episcopus* in demonstr. pro conjug. Cleric. p. 58. hæc pro nostra hujus loci explicatione urget: *Quid aliud per sororem mulierem intelligi potest, an alia quævis fœmina? Cur ergò addidit vocem mulierem? Nugatio enim esset, & ad excludendum virum satis erat sororem nominasse. Græcus contextus habet ἀδελφῆν γυναῖκα. Primum illud idem valere satis apparet, quam si dixisset πρῆτην, id est, fidelem seu Christianam. Ita enim fratres & sorores Apostoli,*
& tota

lib. 10